Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36550
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

ni sicut linteum mittitur in quo erant omnia quadrupedia et reptilia et volatilia
celi, et audivit vocem dicentem sibi. Surge petre, occide et manduca. de-
his sine dubio imperans manducandis quadrupedibus et serpentibus et volati
libus que super posita linteo ad eum celitus sunt delata. dicit ille: domine tu scis inquit
quia commune aut immundum non introivit in os meum. Et vox inquit ad eum secundo.
Que deus mundavit tu commune ne dixeris. Et hoc factum est per ter. Et post hoc inquit
receptum est linteum in celis. De mundis hic et immundis animalibus ratio est. De
quibus rerum scientia celitus docetur apostolus. Quoniam quidem eminentiorem se et mai
orem non habebat in terris, et docetur non una voce nec una visione sed trina.
Ergo nec hoc ipsum quod tercio hec dicuntur, ociose dicta suscipio; tercio hec ei di
cuntur et per illum omnibus nobis quod deus mundavit tu ne commune dixeris. Que
enim mundantur non sub una appellatione mundantur neque sub secunda, sed nisi et
tercia appellatione nominentur nemo mundatur. Nisi enim in patre et in filio et
in spiritu sancto fueris mundatus, mundus esse non poteris. Propterea ergo que per emundati
one ostendebantur non semel neque iterum sed tercio ostenduntur et tercio perci
piuntur. Erant enim omnia in illo linteo quadrupedia et reptilia et volucres ce
li. Et post hoc cogitabat inquit intra semetipsum petrus quidnam hoc esset. Et adhuc
eo cogitante, superveniunt inquit hii qui a cornelio centurione missi fuerant
ex hac civitate id est a cesarea in ioppen. ibi namque erat petrus et hospitabatur
apud symonem quendam coriarium. Bene autem quod petrus apud coriarium manet,
illum fortasse de quo dicit iob: quia pelle et carne me induisti. Sed hec in excessu
dicta sint; iterum superveniunt qui missi fuerant a cornelio ad petrum.
Quos ille suscipiens audit ab eis quid sibi cornelius mandat; et descendens a
superioribus, venit huc ad cornelium. Descendit. Adhuc enim deorsum erat
cornelius, et in inferioribus manebat. Venit ergo cesaream, invenit multos hic
apud cornelium congregatos. Et ait ad eos post multa. Et mihi inquit ostendit
deus neminem commune aut immundum dicere hominem. Videtisne ut petrus apostolus
quadrupedia illa omnia et reptilia et volatilia dilucide ad hominem trans
tulisse, et homines intellexisse ea que sibi in linteo celitus lapsa fuerant de
monstrata. Sed fortasse dicat aliquis. De quadrupedibus quidem et reptilibus et
avibus reddidisti rationem quod homines intelligi debeant, da nunc de his
que iam quasi sunt: quoniam quidem lex in de ipsis esse quedam munda et alia designat in
munda. Hic ego in his ut verbis meis credatur exposco, non testes idoneos dede